



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

2. Quae sit voluntas Dei, quam vt nos facere possimus rogamus, sicut faciunt angeli in coelo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

tur de salute nostra, sed ipse donat & paratus est dare hæc omnia, quæ ad salutem nostram requiruntur, Nam ideò mandat prædicari Euangelium per totum orbem, Marci ultimo, Matt. 24. vbi nobis offert obsequium & beneficium, & vltro promittit salutem. Hæc non faceret, nisi voluntas ipsius esset, vt omnes salui fieremus. Igitur causa damnationis & peccati voluntas Dei non est, Psal. 5. Neq; volens iniquitate Deus tu es. Causa itaque damnationis & peccati est diabolus, instigans malum, & ipsa voluntas hominis obediens diabolo, qui corrumpit voluntatem hominis, vt illi consentiat, & non diuinæ voluntati. Vt ergo voluntas Dei in nobis praualeat, & efficiatur: compleatur de nostra salute, orandum est.

Voluntas Dei est, quam à nobis vult cõpleri, & illa est, vt seruemus illius præcepta. In his enim nobis expressit, quæ à nobis requirat fieri, quæ sibi placeant & quæ displicent. Ideò inquit Mat. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. quoties ergo seruamus illius præcepta, toties eius voluntatem facimus. Ideò Mat. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnũ cœlorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis est, id est, seruat illius præcepta. Rom. 12. vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacita & perfecta, Eph. 5. Intelligentes quæ sit voluntas Dei, id est, credere & illius seruare præcepta. Sic 1. Thess. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineteis vos à fornicatione, & sciat vnusquisq; vestras suas suum possidere in sanctificatione &c. Hæc igitur est voluntas Dei, quam nos facere debemus, & sic obediens esse Deo, sicut angeli sunt & tota cœlestis militia, in nullo resistentes. At inquis: Quis poterit implere præcepta Dei? ego non sum natura angelus, & caro odit legem Dei, Roma. 8. Nemo ergo poterit facere hæc Dei voluntatem: Respondeo, viribus humanis nõ est possibile: at Spiritui sancto, qui datur

adiuuat

adiuet nostram infirmitatem, Roma. 8. non est impossibile: etsi immunditia carnis maculat opus, ne sic purè fiat, attamè placet Deo hæc obedientia, quòd primò persona per fidem in Christum est iustificata, & sic dicitur 1. Ioan. 1. & 5. Mandata eius grauias non sunt, id est, non sunt vltra possibilitatem naturæ, si adierit Spiritus sanctus, sed erunt possibilis, in quantum in hac via nobis possibile erit: Sic parentes Ioannis erant sine querela antè Dominum in obseruatione præceptorum, Luc. 1. at alia erit obedientia & multò perfectior in futura vita, quando moles carnis non remorabitur, ibi erimus sicuti angeli Dei, Matt. 13. & etià obedientes Deo per omnia sine murmure, sicuti Angeli in cælo: ita enim de angelis canimus Psalm. 102. Benedicite Domino omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonis illius. & iterum: Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius. Est igitur voluntas Dei quam à nobis fieri exigit obseruantia præceptorum eius, atque nostra sanctificatio, obedientia etiam Euangelij, quòd si aliquid deerit, propter fidem non imputabit, scilicet de perfecta obedientia legis.

Quoniam petimus fieri Dei voluntatem, idè sequitur, quod nostram propriam voluntatem abnegamus, id quod maximè fieri debet & oportet, si saluari volumus. Hoc enim Christi exemplum docet, quòd dicit Ioan. 6. Ego descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me. sic etiam in horto Mat. 26. inquit: fiat voluntas tua: ita Christus voluntatem suam, alioqui rectissimam, voluntati patris subiecit: & nos tunc verè nostram abnegamus voluntatè, quandò in omnibus rebus Dei voluntatem præferimus, siue in aduersis, siue in prosperis, sanitate vel infirmitate, vita vel morte, dicentes: Fiat voluntas tua. hos Christus beatificat, Matt. 5. dicendo:

T 4 Beati